

**Epistola gratulatoria mysterium naturae in medicina explicatur / ad ...
Christophorum Berghauer ... honores & jura doctoralia ... obtinentem.**

Contributors

Alberti, Michael, 1682-1757.
Berghauer, Christoph.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Literis Christiani Henckelii, [1707]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dm45c74h>

License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30770531>

MICHAELIS ALBERTI,

Med. Doct. & Pract.

EPISTOLA GRATULATORIA

In qua

MYSTERIUM NATU-
RÆ IN MEDICINA

EXPLICATUR,

A D

CLARISSIMUM NOBILISSIMUM ET ERUDI-
TISSIMUM

DOMINUM

CHRISTOPHORUM Berghauer/

Gardeleg. Palæo-Marchicum

Amicum & Fautorem suum æstu-
matissimum

Honores & Jura Doctoralia,

DISPUTATIONE INAUGURALI

De

MEDICINA SINE MEDICO,
OBTINENTEM.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITERIS CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO
DN. CHRISTOPHORO BERGHAUERO
D. MICHAEL ALBERTI

Εὐπράττω.

A Deo antiqua illa pietas, nec inutilis peroratio, sed ne tam pensitanter & per veras Philosophandi rationes exulta, plus minus vero per religiosam & simplicissimam superstitionem æstimata, inter mortales deprehenditur *Natura*, ut eandem famosioribus alias Idolis & oraculis accensere, non prohibeat religionis & cultus, quibus ipsa adornata constat, frequens & solennis conspectus; quantis vero & ipsa *hyperbolicis* imo rectius *σπερμολογίας* in recentioribus ævis, rustica Philosophia fuerit deprædicata, aut melius conspurcata, cuilibet *historia* gnaro facilius innotescit. Deploranda sane res est, quod præcox hominis mens ut plurimum ad *extrema* prolabatur, & vel *nimum agendo*, immaturam, quid quod temerariam prodigalitatem suæ *credulitatis* & *libertatis opinandi* sistat, exhibeatque; vel *parum* aut plane *nihil* contribuendo tantam etiam in rebus conspicuis, & manibus ut ajunt palpabilibus *σκληροκαρδίαν* rigorose foveat; ita sane in hoc negotio cum maximo scientiarum detrimento luctuose dolendum est, quod in debitis rerum respectibus hujus agentis primarii non digna & accurata habita sit pensitatio; sed vel eandem aut *omnibus applicando*, aut *omnibus dene-gando*, tempus & labor teratur: A *priori* in omnium fere ora radicata est hujus *Natura* appellatio, ut quicquid hodie per suas causas in debita convenientia demonstrari debuerat, non nisi naturam accusando, pensum eruditionis in qualibet re absolutum videas. Aut quod simplicius & forte etiam certius dictum sit, ignorantia rei cum *natura* incusatione, purgatur, quod rustica Philosophia enunciat: es hat seine Art so: paulo altioris vero conditionis extra plebem positi & de majori sapientia fantes homines, asserunt: es hat seine Natur so. A *posteriori* minis-

stras & vicârias causas tot *potentiis* & *qualitatibus* exornatas excogitatas, perspicies, quibus verbis magis inanibus oneratum, quam certis & firmis substantialibus causis ornatum cernes *philosophum*; aut *materiis* earundemque *accidentibus* nude inhærendo, naturæ vires omni severitate relegant, excludunt, negligunt. Hæc talia ad singula in vastissimo mundani systematis ambitu uberius latiusque applicare, cum jam nec spatium nec tempus arrideat, sufficiet in *Microcosmo* *Mysterium* principis talis agentis paulo indulgentius prælibata parva enarratione celeberrimorum *actuum* & *effectuum*, imo & ex libertate philosophandi paulo vicinius & propius introspicere & fertiliores plenioresque fructus ex hoc *Myfterio* in Medica præcipue segete progerminantes, enucleare & apponere. Neque vero in hoc proposito meum est religiosam hanc naturæ æstimationem prosequi & historice ejusdem *cultum*, *originem*, *auxiliumque* a prima linea depingere, cum adhuc propius *Ciceronem* hujus naturæ tantam venerationem habuisse constet, quod & Deorum *naturas* sacro quasi cultu & pia meditatione concipere & explicare dignum judicaverit, quantumcunque ad divinum cultum ejusdem notitia faciet; hisce verbis in *lib. III. de Finibus* cordate confessus: *nec pietas vero adversus Deos nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturæ intelligi potest* &c. Quanquam talia ad *Mysterium naturæ* designandum faciant, in nostris potius terminis procurentes, talia etiam perlustraturi, quæ Medico præprimis *necessaria*, *utilia*, & *juvunda* erunt, quibus *scientia* & *conscientia* suæ recte & certe satisfacere commodissime valeat. In nullo certe tempore adeo sollicita, supplex & sacra fuit *felicitatis Medica* exoratio, nisi nostris jam nitentibus annis, ubi hujus *Myfterii* turpissima neglectio deleterias strages quasi ex *Panthoræ* pyxide (ita & Medicorum recte asservatis taliter dictis arcanis, quæ curiositas hominum tandem in *praxin* ipsam rapere gestit) in ægrotantia & invalida corpora præcipiti lapsu introduxit. Alienior longe ab hac antiqua est *Medicina*, quæ potius ad *ars* provocando, & hanc, ex *naturæ mystica* operositate addiscendo serio quasi per omnem conscientiam non negligendo,

inculcat, docet, flagitat. Ita recte *divus senex Hippocrates*, ne quidquam reticeat, *summa Medicina arcana constanter & sincere* indicat; indicat *brevitatem vite*, docet *artem esse longam*, subjungit *tempus esse praeceptum*, apperit ultro *mysterium* perinde *medicum experimentum esse periculosum* (rectius *fallax*, nam hæc explicatio *adequate* in nostras hodiernas *tentatiunculas* cadit, quas mirum in modum quis plurimorum Medicorum nescit invertere & torquere, ut quandoque bonum enatum morbi eventum, Medicus suo artificio & experimentis sæpe numero satis præposteris, & patiens persuasione Medici vel de Medico eidem hoc attribuat: & huc rite cadit quod *πολυμαθές αἰ* D. Stablius *Præceptor & Patronus meus Excellentissimus in Dissertatione Febrim Historiam in genere* explicante, tales, inter reliqua, *πολυπράγμοσύ* vus solertissime & accuratissime ex Medicina proscribendo & rejiciendo thes. 13. p. 36. edisserit, quæ verba cum arcanum Medicum continent hic allegare omnino dignum est: *Suboluit hoc* (sc. frivola illa applicatio bonorū eventuum suis tentatiunculis) *fere multis jam vel de ipsa plebe importune syllogizantibus, hominibus, quod Logica Medicorum plures terminos in syllogismis admittat, dum convalescente patiente perpetuo & non raro vel satis ambitiose, imo imperiose & avaro pro artificio suo & præstito officio (ne divinæ quidem benedictionis inter hæc admissa mentione) concludant: Rebus autem male cedentibus unice in malam constitutionem, & debilem & imparem naturam, aerem, cælum, sidera, imo tunc maxime in divinam voluntatem culpam potius conferant; qui ut videri velint privative defectu aliquo, aut positive admissio aliquo errare, causæ instrumentalis in his eventibus, rationem habuisse. Quæ ipsa posterior excusatio sane non nisi turpissimam ἀγνοίαν & ἀπειρίαν Medicam cuilibet prudenti indicat: in quo quidem casu insimul pulchre a Medicis a priori edoctus vulgus Medicæ loquacitati indulget & cedit, modestius annuendo: es hat dem Herrn Medico bey diesem Patienten das Glück nicht gewolt. Et in eo tota successus & eventus morbi ætiologia posita: Et quis hic non erubescit Medicum homicidii insimulare. Hippocrates talem Medicum reum agit in Legge dicendo: Imperitia (talis) mala est thesaurus & infelices opes iis, qui eam possident,) addit denique Hippocrates laudatus: iudicium in Medicina est difficile. Non ineleganter Heurnius in suo commentario *artem medicam principalissime in cognitione naturæ positam esse* asserit; addit: *ardua enim est naturæ nostræ contemplatio. O quantum non mysterium! periculum naturæ imminens ex natura cognoscere, cum natura avertere; Etsi ipsum divum senem vel ruditer tantum aspicimus, quidni singulis artifiis Medicis, naturam præponit, quasi ex illa unice petendum sit, quid agere,**

agere, & quomodo *artem suam perite & convenienter & utiliter* instruere debeat Medicus: inculcat præterea adeo sollicitè, quod *ars obtemperare debeat naturæ*, non *natura arti*: Quod non *Mysterium*? discere a *natura*, quod ipsi *naturæ salutare & utile* est. *Galenus*, qui & ipse strenue in *Hippocratem* commentatus in eo pari religione *artem naturæ* subjungit, & *hanc morborum medicatricem*, *illam* vero hujus *ministram* esse constanter edocet. Et profecto talis Hodegeta non futilem fortunæ concursum expectat, sed sibi sufficiens agit, quæ certa, quæ salutaria, quæ firma sunt. Audiendus certe *Hippocrates in Lib. de Loc. in Hom.* quantum tribuat fortunæ, & quantum tribuat arti & scientiæ; & quantum ipsi fortuna longe aliud quid designet, quam illud Idolum quod nostris hodie Medicis Sacrum est. Illud est *fortunatum & infortunatum* dicit *Venerabilis Senex*, quod *recte factum*, & quod *non recte factum* est. Unde vero hoc addiscitur, nisi a *Natura*? quæ sibi convenientia *eligit, agit, poscit*. Pulchrum profecto *Mysterium*, *Natura se ipsam curat*. Scandalosum sane imo detestabile plurimis Medicorum est, a *natura* discere, ad *naturam* provocare, *naturæ obtemperare*: & licet toties exclamatum audias quod Medicus debeat esse *Naturæ Minister*, non *Magister*, videsis in *Praxi Medica*, an non Medicus potius *Magistrum* se gerere gestiât, quam *Ministram* agere, amet; sed id ipsum pessimo cum successu, similique eventu. Inde scaturiunt fontes illi imperitiæ, *naturæ salutare motus modo coercere, suppressere*, isti quavis temeritate & violentia *resistere*, loco *temperationis*; modo *sopire*, & *obtundere loco lenitionis*; & si Medicus taliter neque temperare, neque lenire sua methodo suisque truculentis arcanis ultro potest, tunc propediem ad *confortantia, spiritus reficientia, cardiaca, analeptica, nervina* & hujus fuci alia anxie confugit, *meditatur, pingit & præscribit*; & reficit & reficit, per diem & noctem, & nihil reficit nisi majores anxietates, virium graviores languores, pessimaque alia. Quantum non *mysterium*! *Natura* evidentissime Medicum convincit, male gestæ suæ praxeos. Quis non suæ authoritati gravem violationem illatam fuisse autumat, cui vel digitis *naturæ salutare motus, contrarii suæ scientiæ & experientiæ præmonstrantur*. Et hi ipsi profecto tales *Naturæ Medicinas* non attendendo, minimum sese ut *Medicos*, neutiquam ut *Naturæ Ministros*, sed ut *Destructores Naturæ*, hostes, & in tanta turba & cœtu fatuosos, rebelles se gerunt & offerunt. Quid hic de misera spirituum & quandoque *automatica* influentia & *concursu ad actus vitales* etiam in aliis corporibus ludere fabulatur, non meretur jam vel minima expositione & detectione illius quod *πρώτον ψεύδος* dicitur enodari; cum hæc talia liquidius & verius exarsciata & docta prostent; inde *sapienti sat*. Quod Medici in *Naturæ* motibus examinandis trepident, non aliunde quam ex inscitia a priori, *quid Natura sit*, petendum; nesciunt in quam classẽ eandem redigere aut quomodocunque illam considerare debeant, quorsum respiciunt ubique inanes conceptus, ubique nihil, nihil solidi; hinc paulo notiori termino

Spiritus, vel exquisitam corporis *structuram*, vel etiam *voluntatem divinam* pro explicandis saluberrimis effectibus, appellant, & hanc ultimam eo melius, quia huius firmitas & constantia, firmitatem & constantiam hypothe-
seos adjuvare possit: Illa vero dissipabilia, fragilia & corruptioni proxime obnoxia dissipabilem & fragilem Theoriam reddere queant; nec est, quod impatiens illa Philosophia (ut αὐτοφύλοσσοφίαν talem allegare liceat) huius Naturæ egregios effectus, vires & operationes qualitercunque infringere possit, aut quempiam stultitiæ contra omnem sanam philosophandi methodum arguere valeat, qui tales Naturæ egregios effectus, præ crassa, fragili, stupida & omnibus vicissitudinibus & periculis obnoxia materiali substantia, æstimat, attendit, & sollicitè imitatur. In hac enim latitat Mysterium totius Medicinæ, *Nosse Naturam, nosse ejus actus & fines & ipsi prudenter obtemperare.* Quantum vero lucis & mystici attulerit communis Medicorum Logica subsumptio de *possibilitatibus & qualitatibus Materie*; quantum salutis comportaverit Medicorum Metaphysica, quot ægros restituerit *Mathematica* particularum vel τῆς materialis νοσηρῆς dimensio, quilibet peritus profiteri & attestari potest: quantum vero *morales* respectus, & Naturæ considerationes in Medicina profecerint, testatur cum saluberrimo fructu deo benedicente *quotidiana praxis.* Quantum non Mysterium, quanta non salus Naturæ in Medicina! Sine *Natura* omnia *accidentalia, symptomatica, morbida, passiva* censentur, præcipiti lapsu in interitum labentia, quibus ars nuda (rectius opificium Medicum) succurrit, & illa morbida curare debet, etiam curaret, si posset, maxime vero non potest: Quod si econtra *naturæ actus*, ut actus, (necessitate tali debita, qua corpus suum *Natura* salvare debeat, sic fieri debentes,) actui *motus* non ut aliquid passivum, digne considerantur, moderate *promoveantur, expediuntur, facilitantur*, quid inde eveniat, docet *sana ratio* a priori & confrimat effectus a posteriori. Quot ægros integre restitutos, & recte curatos cernere licet v. g. a *Febre intermittente*, in qua & *frigus* & *æstus* ut *morbida* symptomata judicata, illis per Logicum processum a priori tali iudicio quovis modo si resistatur, & in paroxysmo frigoris patientem in clibanum calefactum conjicias, & in paroxysmo æstus in frigidissimam glaciem reponas, si hac methodo optime resisteretur morbidis illis effectibus; nam & hic valeret, illud inter fœminas notum diæterium, quod τὸ multum, multum operetur & valeat: Viel hilft viel: at vero reminiscor alicujus objectionis, hanc quidem methodum generaliter probantem, sed specialio-
praxin & selectum medicamentorum nimis crassum esse, æstimantem: unde præstarent frigida moderata (addunt quidem moderata, quibus vero moderatum & fortissimum in re unum idemque, licet in verbis dissonent,) & calida temperata (quod vocabulum æquale patitur fatum) illa vel vegetabilia, ut radices, semina refrigerantia, quandoque Terrea (sed nescio quo usu actualis refrigerationis) imo nudi Cancerorum oculi, Acida mineralia, quandoque adstringentia sæpius satis assumpta: hæc ut plurimum sub nomine *temperatio-*

ratoris caloris veniunt, quæ tamen nihilo minus *fortissimum* calorem inducunt, & *anxie* afficiunt patientem: præcipue cum ad *malignitatem* qualemcunque febrilem præoccupandam & extinguendam talia opponuntur, quæ sub hoc titulo in nostra *Materia Medica* vehementer sanguinem exæstuant, & turgesciunt; debitas vero *secretiones* & *excretiones* impediunt turbant & invertunt: quid & quantum *salutaris* inde eveniat docet effectus: ut plurimum taliter tractatæ febres parturiunt, *oppilationes* pertinacissimas viscerum, *febres lentas*, *hecticas*, *hydropes*, *perpetuos languores*, *Mala graviora spastica*, *hypochoondriaca* &c. lugent misere taliter cruciati magno numero: exempla sunt odiosa. Quid vero efficiat *motum* illum a *natura* suscitatum constrictorium suppeditatis talibus, finem ejus, nempe *emolliationem*, *lubricationem*, *diluitionem* materiæ spissæ, tenacis ita dictas primas vias *Mesenterium Hepar Lienem* obstitantis, intendentibus & *facilitantibus*, promoveri, *motum* vero expulsiorem perinde a *Natura* rationali consilio susceptum, debito *regimine* tantum fovere, ut utrisque hisce motibus *evacuationes ordinate* & *convenienter* succedant, non prætimendo *motus rebelles* & turbulentos, & resistendo iisdem *opiatibus*, *adstringentibus*, specialissime famoso illo pulvere Jesuitarum *Chin Chinæ*, (quæ ut plurimum etiam *salutaribus* motibus obtruduntur) nec ullis aliis tentatiunculis, *Vomitariis*, *purgationibus*, *Venæsectionibus* plane vel penitus *imperite* vel totidem *ἀνυγως* succurrendo, sed quid sibi relicta *Natura* placide, temperate, proportionate, & jugi debiti ordinis successu *salutaris* efficiat & perficiat, quilibet *salutaris* praxeos *Medicæ eventus* testabitur. Quod non *arcanum*, quod non *Mysterium Naturæ in Medicina*. Posset quidem hoc *Mysterium* latius detegi in negotio præcipue *Inflammationis*, nisi illud ab *Excellent. D. D. Stahl* in *Disp. de Autocratia Naturæ* longe exquisitius pertractatum esset. Hæc interim considerationes, quæ juxta *Hippocratis fortunam* docent, quo modo *Medicus recte* agere debeat in *Medicina*, pollicentur *salutarem* subinde *Medici operam*, imo ex bona & justa hujus *Mysterii* comprehensione & notitia non nisi certa, firma & bona *praxis* merito expectari debet. Firmus hæc talia sentiens, confirmor ultro in hoc *arcano Medico*, quod *Natura* sibi constans etiam sine *Medici opitulatione* & auxilio, morbos in suo corpore subnatos vel in suum domicilium introductos optime *curet* & *restituatur*: quod axioma uti totum *practicum Clinicum* est, ita etiam *Hippocrati* in maximam laudem cedit, qui primus hujus prudentissimi *phenomeni practici* sapiens observator fuit, & illis etiam longissimam maximamque conciliabit gloriam, qui ut restauratores talium saluberrimarum rerum *practicarum*, non *inventionum* aut *curiosarum tentatiuncularum*, sed *familiarissimorum* & *utilissimorum eventuum*, qui sunt *res facti*, dextros, fidos & solertes sese præbent: Quis enim rustico homini, *vulnera*, *Febres*, *Inflammationes* &c. *curat*, & *restituit*, nisi unice prudentissima *Natura*, cujus *Mysterium in Medicina* brevibus designare lubuit. Decuit vero etiam in Honorem, *Clarissimi Nobilissimi & Eruditissimi Domini Candidati Amici & fautoris sui admodum honorandi occasio*

casione qua ad mentem *Excellentissimi D. D. Præsidis sui Medicinam sine Me-*
dico publice dæctissimo specimine, pro obtinendis illis præmiis suorum jam
diutius maturorum laudabilium & egregiorum studiorum, sistit, epistolis
quodam gratulatorio, ipsi meum integerrimum amorem & pium gaudium
de istis honoribus, significare & obfirmare. Et sicuti tua fides, Amor & be-
nevolentia in me præoptabili tua conversatione & jugi amœno colloquio, me
tibi totum eradidit, ita dignum judico, publice Te honorare, & integri-
tatem tuam laudibus pluribus exornare; De studiis tuis quod hic addo en-
mium, profecto non est superfluum, nec blanditiis cicuratum; sed ex vero
ex scientia & conscientia promam illa quæ reticere improbum esset. Aggres-
sus es studium Medicum ita maturitate animi & judicii, ut egregios fructus
expectare certo licuerit. In ipso progressu talia summa animi propensione
pertractasti, quæ necessaria & quæ utilia fuerunt, in Summa, talia, quæ Me-
dicum verum ornant & decent; quæ vero ἀλλότρια Medicinam potius of-
fendentia, quam ornantia, illa ipsemet probe agnoscendo, uti decuit ita et-
iam solerter evitaſti, ne inani scientiarum incertarum farragine turgeas, &
vere saluari Medicina egeas. In meis laboribus Medicis ut omnibus aliis lon-
ge minimis & tenuissimis, assiduum, erudite etiam singula ruminantem &
præstantissimum Te præbuiſti, ut me minimum neque unquam horum labo-
rum poenitebit. Disputatio, quam sub meo præsidio tibi & mihi ab Amplis-
sima facultate Medica gratioſe concessum fuit, defendere, testimonium ex-
hibet, tuæ industriæ & assiduitatis; quibus omnibus & singulis omni cura,
vigilantia, & solertia fideliter incubuiſti, ut profectus tui laudatissimi & e-
gregii omnino mereantur publice prædicari. Confirmat hanc laudem ultro
praxeos studium, quod indefesso labore & quavis occasione Theoretico jun-
gere prudenter allaborasti. Ultimum quod addere restat, candida mea est
gratulatio; sint tibi honores hi salubres primitiæ plurium succedentium tuo-
rum studiorum præmiorum & honorum. Adspiret divina benedictio omni-
bus tuis conaminibus: praxis tua reliqua sit salutaris & longinqua; & perge
tali successu pulcherrimos in arte Medica videre & experiri fructus, sic ve-
rus manebis & eris Medicus & justus naturæ Minister. Faveat clementissi-
mus Deus singulis tuis cœptis; confirmet robur, sanitatem & reliquas tuas
vires, & largissime omnem benedictionem in Te effundat. Quo ipso sem-
piternæ divinæ gratiæ Te commendo. Vale & Fave.

Dabam. Halæ Magd. Mense Febr.

1707.